



Dan filius fuit Humeli Gothorum principis, qui ab Ingeuronis familia procreatus erat. Hic iersus Septentrionem progressus fortissimam gērem condidit, atq; eam à suo nomine Danos appellauit. Is et si rerum summam ob egregia fortitudinis nerita assentientibus ciuium suffragijs obtineret, regij tamen nominis expers degebat, cuius usum iulla tunc temporis apud Danos cōsuetudinis frequentabat authoritas. Ex hoc Dano, qui Gritham inter Theutonas summę dignitatis matronam uxorem duxerat, multi reges Daniæ, Suetiæ, & Norvegjæ prognati, qui longo tempore īs in locis rebus prefuerunt. Horum res gestas Saxo Grammaticus

Sialandicus, Anno Christi quasi millesimo ducētesimo, sub Friderico 2. Cæfare ex ueterum monumentis conscripsit, atq; magna diligentia uirtutes ueterum Teutonum annotauit. Verū cum numerum annorum mundi & salutis nostræ non apposuerit, multis alijs meritō obscurior fuisse uisus est. Ego itaque eius opus diligenter euoluens, singulorum regum successiones obseruaui, & cuique seculo quinquaginta circiter annos assignauī, donec tandem ad Frothonis tertij tempora perueni, qui post Cymbrorum in Italiam aduētum, cum Christi Saluatoris nativitas instaret, rebus apud Danos præfuit. Itaque Dan secundum eam supputationem uixit circa annum mūdi bis millesimum septingentesimum quinquagesimum, cum Gedeon Israelitis præcesset. Fuerunt autem Dani & Sueti Teutones. Vnde Tacitus & Ptolomæus Germaniam ab Oceano Germanico uersus Septentrionem termināt. Id q̄d etiam nostri seculi scriptores sequuntur. Videmus etiam quod uel nostro tempore Germanorum lingua īs in locis sit frequentissima, quantumuis proprias dialetos retineant. Id ut pateat orationem Dominicam in lingua Suetica propinanam, quæ parum à Germanismo differt: